



217

215

221

211

226

206

266

166

316

116

202

recipere. Miles ergo patrono suo dolum indicavit, et patronus praefecto de Rama Sarracenum accusavit. Statim autem, ut praefectus audivit, misit apparitorem cum baculo ad carcerem nostrum, in quo mercator cum suis rebus sedebat, et abstulit ab eo vi illos quinque ducatos, restituens eos peregrino, et eo multis plagis cum baculo vapulato tradidit et vitrum. Sic ergo deduximus diem illum cum minori taedio, quam praecedentes. Cum vero nox facta esset venerunt quidam juvenes Aethiopes valde protervi et mali, scutiferi dominorum Maurorum, et volebant ingredi speluncam ad furandum et ad nos vexandum, sed custodes, quos conduxeramus, non permittebant eos intrare, et diu simul concertabant et litigabant ante introitum. Cum autem vidissent, quod ingressus eis non pateret, posuerunt se ante ostiolum, et tota nocte cantaverunt, ululantes, latrantes, grinientes sicut bestiae, canes et porci. Pessimas enim voces habent omnes Orientales, nec possunt formare melodiam, sed cantus eorum est caprarum clamor et vitulorum. Cum ista ergo inquietudine nox illa transiit.

Octava laborabat Pater Gardianus et alii maturiores de peregrinis et Saracenis pro concordia patronorum, sed nihil proficiebant. Quod cum domini Mauri et Sarracenum praefecti vidissent, prudenti usi consilio ambos patronos advocaverunt, dicentes, quod nisi in continenti unirentur, eos captivare vellent, et ad Gazaram in custodiam mittere, quousque per dominum Soldanum diffinitum fuerit, quod de iis fieri deberet. Peregrinos vero vellent repellere in galeas sine locorum sanctorum visitatione, et eis de aliis patronis providere, et ad propriam terram remittere. Hac comminatione coacti sunt duo patroni se unire, et dextris sibi invicem datis pax inter eos facta est. Et conventionem factam cum praefectis et dominis pro omnibus nobis, venit Elphahallo, minor Calinus, dicens, quod deberemus nos disponere ad recessum. Disposuimus ergo nos reperte, et sacculis ac flasconibus onerati stabamus exspectantes. Cumque domini Sarraceni se ante speluncam nostram locassent, ut iterum, sicut quando de mari ascendimus, numerarent nos, et multi peregrini jam dimissi essent ad asinos, ecce subito conversi in furorem, nescio qua de causa nos cum magna indignatione in specum retruserunt violenter (B) cum baculis minantes, in

Ende

Anfang